# OFFICIUM
# SANCTI MARCIANI
## EPISCOPI, ET CONFESSORIS
## FREQUENTINÆ CIVITATIS, ET DIŒCESIS PATRONI.

*Cum ejus Octava in eadem Civitate, & Diœcesi recitanda.*



*Die XIV. Junii*

IN FESTO

## S. MARCIANI

Confeſſoris, & Epiſcopi Frequentini, ejuſdem Civitatis, & Diœceſis Patroni.

*Omnia de communi Confeſſoris Pontificis, præter Orationem, & lectiones.*

### Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui tuorum gloriam Sanctorum per tuam miſericordiam revelari non ceſſas: concede propitius, ut per merita Patroni noſtri Marciani Confeſſoris, & Epiſcopi opem miſericordiæ tuæ in præſenti ſæculo, & in futuro gloriam conſequamur. Per Dominum.

*Lect. primi noct. dicuntur de comm. Confeſſoris Pontif. De Epiſt. Prima B. Pauli Apoſtoli ad Timoth. Fidelis ſermo: Si quis Epiſcopatum.*

## Lect. IV.

MArcianus ex nobilibus Parentibus Græciæ ortum habuit, eorumque diligentia pie, religioſeque ab infantia fuit educatus. Quibus Adoleſcens orbatus, quum omnes illorum poſſeſſiones, & divitiæ ad ejus dominium deveniſſent, cæpit in pauperes eas erogare, Viduis, & Orphanis miniſtrare, ac omnibus in neceſſitate poſitis ſubvenire. Cæperunt autem de tota Græcia ad eum concurrere, & ei reverentiam, honorem, & facultates exhibere: quibus ſpretis, Græciam Patriam relinquens, Divino, ut fertur, conſilio navem conſcendens, Italiam properavit, ac in fines Samnii pervenit, juxta Frequenti Civitatem habitare cæpit, & ibi ſolitariam peragere vitam. Cognita ejus Sanctitate, Frequentini Cives aſſidue ad eum accedebant, multas enim virtutes Deus per Marcianum operari dignabatur. Ægrotos ſuis precibus curabat, Leproſos mundabat, ac Dæmones ab obſeſſis

cor-

corporibus ſugabat. Inter quos quadam die Mulier ex Lucaniæ finibus adveniens, Lunaticum filium ſuum circumferens, qui multis erat loris, & catenis adſtrictus, eo quod teneri non poterat, projecit ſe ad Marciani pedes, deprecans, ut filium ſuum a Dæmonio vexatum ſanaret; Marcianus mulieris condolens afflictionem, oravit, ac ſtatim Dæmon abſceſſit, & omnino nunquam comparuit; ac pueri dexteram apprehendens erexit eum, & ſanum reſtituit Matri ſuæ. Tu autem Domine.

℟. *Inveni David.*

Lect. V.

FActum eſt autem ut Laurentius Canuſinæ Eccleſiæ electus Epiſcopus, Romam properans, ut Paſtoralem Inſulam a Romano Pontifice acciperet, Marcianum rogavit, ut cum eo Romam pergeret, cujus precibus Marcianus obſequens, ad Limina Apoſtolorum una perrexerunt. Tunc tem-

S. Elisabet Reg.a Hungariae

S. Laurentii Iustiniani



poris Leo primus Apostolicam vicem tenebat, qui Spiritu Sancto afflante cognovit ingressum, & Sanctitatem Laurentii, & Marciani, ac præmonstratum fuit, ut primo Ecclesiæ Canusinæ Cathedram electo a Clero, & Populo traderet, & Marciano Viro Apostolico Frequentinam Ecclesiam regendam, & gubernandam committeret; ejus enim exemplo non solum vicinas, sed etiam longe positas Provincias fore salvandas. Occurrit Pontifex cum magno gaudio, & Clericorum obsequio: nominatim eos salutavit, & visionem divinam patefecit. Hæc audiens Marcianus cœpit flere, ac se indignum clamitabat ad Episcopalem honorem accedere. At Papa dixit: Audi fili Christum Petro dicentem: Si diligis me, pasce oves meas: dicente Scriptura: Qui tenuit Dei gregem pascere, Pastorem summum renuit, & convincitur non amare. Hoc audito, voluntati Dei obtemperare non abnuit Marcianus. Tunc Leo Papa

ve-

vocavit Episcopos, & Clerum, ac Marcianum, & Laurentium consecravit Episcopos, misitque eos ad Ecclesias eis commissas gubernandas. Cumque Civitatem Terracinam essent ingressi, defunctus ferebatur ad tumulum unicus filius Principis Sympronii, qui cum tota Civitate, & Populo nimio conficiebatur mœrore; quorum tristitiam Marcianus conspiciens, miseratione commotus, jussit deponi feretrum, & in Domino confidens, expansis manibus reoravit, impetravit, statim mortuus resurrexit, resedit in lectulo, & ad Marciani pedes se projecit, qui dexteram ejus apprehendens allevavit eum, ac sanum, & incolumem reddidit Patri suo. Quum autem in fines Samnii pervenisset, quidam Dœmoniacus obviam se ei obtulit, tunc Marcianus signum Crucis edidit, statim Dæmon exiit, & sanum, ac liberum eum reliquit. Tu autem Domine.

℟. *Posui Adjutorium.*

Lect. VI.

CUmque Frequentino Populo nun-
ciatus fuisset ejus adventus, gau-
dentes, & exultantes de tanto Patro-
no, ei obviam exierunt, & cum Hy-
mnis, & laudibus ad Ecclesiam detu-
lerunt. Cæcus quidam illic morans,
qui ejus præstolabatur adventum, cœ-
pit clamare, & dicere: Marciane, il-
lumina me, qui signum Crucis super
cœci oculis faciens, statim, qui cœ-
cus erat, cœpit videre, laudare, &
benedicere nomen Domini per famu-
lum ejus Marcianum. Post hæc Ca-
nusii Præsul commendans se Mrciano,
amplexantes, & se invicem deosculan-
tes in amore fraternitatis, eum a se
dimisit. Cæpit Marcianus suam Eccle-
siam religiosissime gubernare. Sed quan-
ta per eum Dominus miracula gesserit,
longum est enarrare. Cum cognovisset
quod eum Dominus de hac luce vo-
caret, vocavit Cleros, cunctoque Po-
pulo nuntiavit pacem, & concordiam
servandam, dando eis multa salutis

me-

monita. Tunc vale omnibus faciens, ingressus Ecclesiam die Sabbati, ibique per totam noctem in Dei laudibus manens, illucescente die Dominico particeps factus est corporis, & sanguinis Christi, & ita oculis, & manibus ad Cœlum erectis, senio confectus perrexit ad Dominum cum triumpho. Postquam Dominus Jesus Christus beatissimum famulum ejus Marcianum de hac luce subtraxit, cœpit per corpus ejus virtutes, & miracula exhibere non minora, quam ei concesserat in vita. Nam nonnulli ex longinguis Regionibus venientes, osculantes Arcam, in qua Sanctissimum ejus corpus quiescebat, sani revertebantur a quoquumque detinebantur languore. Summa Populi veneratione illius Reliquiæ in Civitate Frequenti asservantur, & Festum ejus annua solemnitate celebratur. Tu autem Domine.

℟. *Iste est qui ante Deum.*

*In III. Noct. Hom. S. Gregorii Papæ in Evang.* Homo peregre proficiscens,

*sçens, ut in comm. Conf. Pont. in Breviario.*

Die *XV. infra Oct. fit de S. Basilio Magno cum comm. Oct. & SS. Viti, & &c.*

Die *XVI. III. inf. Oct. fit de S. Onuphrio Conf. cum comm. Oct.*

Die *XVII. IV. inf. Oct. fit de Transfat. S. Bartholomæi cum comm. oct.*

Die *XVIII. V. infra Oct. fit de eadem die V. Lectiones II. Noct. sumuntur ex Octavario Romano fol. 167. de Sermone S. Joannis Chrisost.* Et Dominus quidem: *Lect. III. Noct. ex eodem Octavario Romano Homil. S. Hilarii Epis.* Divisio pecuniæ. *fol. 171. Sed semper impeditur a Sanctis translatis, de quibus fit cum comm. Octavæ, & SS. Marci, & Sociorum.*

Die XIX. VI. *inf. Oct. fit de S. Juliana de Falconeriis cum comm. Oct. & SS. Gervasii &c.*

Die XX. VII. *inf. Oct. fit de eadem die VII.* Lect. II. Noct. *sumuntur ex eodem comm. II. loco.* Sermo

S.Ma-